

clamor. Hæc hyperbole in scriptura sæpius occurrit. Viduarum preces nubes penetrant. Prædicate Evangelium omni creaturæ, id est, omnibus gentibus. Non est Propheta acceptus in patriâ suâ, id est, plerique Propketa. Eritis odio omnibus hominibus, id est, impiis, &c. Filius hominis cum venerit, num reperiturus est fidem in terris? Vidimus urbes in cælum usque muratas. Quæ si omnia scriberentur, ne quidem totus mundus libros capere posset, Iohan. 21. Ecce totus mundus ipsum sequitur, Iohan. 12. Vbi NOTA 1. Ad Auxesin referri verba 1. significantia vel gravia, quæ animum implent: sic species graviores sunt quàm genera, velut latrocinium pro cæde 2. Sonantia, quæ certas syllabas longas habent & aures implent: ut: audire, constare, comprobare. 3. Plena, quæ & animum & aures implent: ut, crudelissimum & luctuosissimum exitium patria comparare, Cic. p. Sylla. 4. Tropica emphatica: ut. Tum latè ferreus hastis Horret ager, campiq; armis sublimibus ardent. Æneid. 11. Nota 2. Ad Auxesin etiam referri Epitheta, quæ sunt adjectiva alicui substantivo addita, ut homo sapientissimus, Dido pulcherrima. De quibus cap seq. Item comparisonem, ut Si entore clamorior. Nota 3. Hyperbolen ab Auxesi hoc modo è quorundam sententia differre: quòd illa fidei limites excedat: hæc intra eosdem maneat.)

10. Μείωσις extenuatio est, qua veritas superatur rei minuendæ & extenuandæ grâtiâ, ut, Vermis, pro homine. Erratum, pro scelere. Stridor, pro voce. Severus, pro crudeli.

(Alii sic definiunt. Μείωσις est cum verbum mollius sive mitius loco proprii subijcimus. Dicitur & ταπεινωσις. Sic Psal. 22. 7. Ego vermis sum, non homo, Esa. 41. 14. Noliti mere vermis Iacob Job. 25. 6. Filius hominis vermis. Sic dicit Abraham ad Dominum: Ecce nunc cœpi loqui ad Dominum meum, qui pulvis sum & cinis, Genes. 18. 27. Sic Cic. Syllanus ager à certissimis hominibus latissimè continuatus, tantam